

Rome, 18 Juin 1600.

1 Perillustris et R^{me} Domine. Literae Dominationis Vestrae
 Rev^{mae} opportune mihi redditae sunt, illis videlicet ipsis diebus,
 quibus de translatione vestra ab episcopatu Posnaniensi ad Vladisla-
 5 viensem agebatur. Non fuit magna difficultas in hoc negotio felici-
 ter expediendo, tum ob propensam sanctissimi Domini Nostri erga per-
 sonam vestram, tum ob egregium testimonium, quod de virtutibus, et
 meritis Dominationis vestrae R^{mae} Serenissimus Rex per literas suas
 ad Pontificem Maximum scriptas reddidit. Ego pro meo munere feci
 quod debui, ut tam pium, et iustum negotium prospere succederet. Et
 10 quoniam ex colloquiis cum R^{mo} Episcopo praedecessore vestro saepiud
 habitis, et ex ipso Pontifice Maximo, qui aliquando in Polonia Le-
 gati Apostolici munus obiit, cognovi dioecesim amplissimam, et diffi-
 cultatibus plenam esse, ad quam nunc Dominatio vestra R^{ma} à Deo vo-
 catur, facere non possum, quin personae vestrae ex animo compatiar,
 15 et à Deo ipso precer, ut vires oneri pares Dominationi vestrae R^{mae}
 suppeditare dignetur. Omitto in praesenti gratulationem, quia magis
 considero accessionem periculorum, et laborum, quam honoris, et divi-
 tiarum: tum vero libentissima gratulabor, cum venerit Princeps Pas-
 torum, et ostentans immaecescibilem coronam gloriae, dicet, Euge ser-
 20 ve bone, et fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, super multa te
 constituam, intra in gaudium Domini tui. Quod ut mihi etiam aliquan-
 do audire contingat, quaeso Dominationem vestram R^{mam}, ut me apud
 Dominum precibus suis iuvet. Interim studia mea, etque obsequia Domi-
 nationi vestrae R^{mae} promptissime defero. Datum Romae die 18 Junii
 25 1600 .

Episcopus Vladislaviensis.

TARNOWSKI

F. B. 5, f.110. Brouillon autogr. - Fuligatti, Epist.familiares IV